



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 6. Quæ est dignitas Sacramenti Eucharistiæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacramento Euchar. Cap. I. 129*

Eucharistiæ Sacramentum, consistit in re permanente.

Quod probatur primò ex Scriptura sacra, in qua constat, Christum Dominum hæc verba protulisse: *Hoc est Corpus meum*, priusquam distribueret Eucharistiam Apostolis; ex quo perspicuum est, Corpus Christi Domini fuisse sub speciebus Panis, ac proinde verum Sacramentum antequam distribueretur.

Secundò probatur sanctis Patribus: Juxta sanctum Augustinum in Psalmum 33. *Christus seipsum portavit in manibus suis dum Eucharistiam portaret*: At evidens est, non potuisse seipsum portare in manibus suis, nisi ejus Corpus fuisset sub speciebus Panis, priusquam manducaretur: hoc igitur Sacramentum non consistit in manducatione.

Et sanctus Justinus in Apologia secunda, ait, *Post Sacramenta peracta, Eucharistia consuevit deferri ad absentes.*

*Quæst. 5.* Quænam est hæc res permanens in qua consistit Eucharistiæ Sacramentum?

*Resp.* Sacramentum Eucharistiæ consistit essentialiter in speciebus Panis & Vini, & in Corpore, & Sanguine Jesu-Christi contentis sub his speciebus, ut patet ex Canone ubi legitur; *Sacrificium Ecclesiæ duobus conficitur, duobus constat: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu-Christi carne & sanguine.*

Can. Hoc est.  
De Consecr.  
dist. 29

*Quæst. 6.* Quænam est dignitas Sacramenti Eucharistiæ?

*Resp.* Dignitas hujus Sacramenti rectè explicatur ab Alexandro Papa III. relato in Canone, ubi ait: *Nihil in sacrificiis majus esse potest, quàm Corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio hæc potior est. Sed hæc omnes præcellit, quæ purâ conscientia Domino offerenda*

Can. Nihil.  
De Consecr.  
dist. 21

est, & purâ mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.

*Quæst. 7.* Unde sumenda est unitas aut multiplicitas Sacramenti Eucharistiæ?

*Resp.* Cum Eucharistiæ Sacramentum institutum sit ad spiritualem animæ refectionem, sequitur unitatem, aut multiplicitem hujus Sacramenti, sumendam esse ex habitudine, aut conjunctione morali, quàm habent species consecrationis ad unam, aut plures refectiones spirituales: quare cum simul præbetur una, vel plures Hostiæ consecratæ, censentur moraliter loquendo unam tantum efficere refectionem spiritualem, ideoque unum tantum est Sacramentum: sed si dantur pluribus distinctis refectionibus, ut cum præbentur plures Hostiæ consecratæ, pluribus personis, aut eidem diversis temporibus, tunc sunt plura Sacramenta numero distincta, cum sint plures refectiones spirituales.

---

## C A P U T II.

### *De Materia remota Sacramenti Eucharistiæ.*

*Quæst. 1.* **Q**UOTUPLEX est materia Sacramenti Eucharistiæ?

*Resp.* Duplex materia, duplexque forma Sacramenti Eucharistiæ distingui potest, materia scilicet & forma remota, quæ necessariò requiruntur ad consecrationem hujus Sacramenti, & materia & forma proxima quæ sunt partes componentes hoc Sacramentum.

*Quæst. 2.* Quænam est materia remota hujus Sacramenti?